

E P I L O G U S.

Attamen his omnibus tandem prævaluerunt, mentemque meam de sententiâ dimoverunt commoda, fructusque, quos hinc Christianam Religionem satis uberes percepturam esse, non tenuis affulget spes. Quibus accessit, quod istorum recensitorum incommodorum primum gravius, gravioraque Ecclesiæ allaturum mala mihi depinxeram, quam reverâ similem meæ, si non majorem ob causam allata fuisse postmodùm compererim. Dum enim hoc apud me premo scriptum, alia prodiere, quibus multò majoris momenti dogmata, imò ipsum totius Ecclesiæ fundamentum non tantum labefactatum, sed convulsum atque eversum iri videtur, idque sine ullâ, nisi inter doctiores aliquos tantum, contentione: Alterum verò declinare, & nominis suppressione subterfugere possim, quæ quamvis non nihil huic meo Tractatui, meaque sententiæ damno atque despiciatui futura sit apud illos, quibus ex Scriptoris nomine Scriptis pretium statuere, aut siquid Authoris nomine non insignitum in lucem exeat, tanquam nugas, & scripta dentata, lectu indigna, damnare in more possum est: Non tamen id tanti faciendum duxi, ut aut memorati incommodi periculum subire, aut, istius farinæ censores librorum susque deque habens, æquiorum lectorum studiis atque utilitati deesse, & commoda hinc in ipsos redundatura dengare voluerim.

Istorum autem commodorum primum & maximum est, quod, cum abhinc aliquot seculis S. Literarum interpretatio in dubio posita fuerit, nec veros earum sensus interpretes & infallibiliter eruere, & se eruisse demonstrare potuerint; unde tot tantæque inter Christianos pullulârunt, ac etiamnum vigent, indiesque novæ pullulant dissensiones contentionesque: nostrâ hōc in libellô stabilitâ Methodô, atque normâ non amplius in incertô vagari; sed firmô minimèque vacillanti pede inniti ac progredi cuilibet Divinorum eloquiorum interpreti liceat, adeoque disputationum disceptationumque ferra, quæ tam animosè atque acriter ducitur, auferri, & universo Christianorum orbi tranquillitas atque pax conciliari, & in æternum stabiliri possit.

Alterum est, quod ex hâc nostrâ sententiâ non tantis, quantis antea, laborabit difficultatibus interpretis munus; cum enim ostenderimus, omnes Scripturarum veritates esse etiam veros sensus, pluresque cuilibet orationi inesse possint, erunt ex iis pluribus aliqui investigatu inventuque faciliores, & magis obvii, quam si unus duntaxat eruendus inesset: minoris enim est negotii ad quædam pervenire, ubi multa sunt, quam ubi unum solummodo existit, id ipsum excogitare. Atque hanc ex nostrâ sententiâ S. Literarum interpretationi accedere facilitatem agnoscit ipse Chamier. Panstrat. Cathol. Tom. 1. lib. 15. cap. 15. §. 31. his verbis. *Si essent (plures sensus literales) hōc videtur facilior fore Scriptura. Nam difficultas Scripturæ, si qua est, consistit*